

Gehe  
De  
reservato  
ecclesiastico

1779





2425. 10  
DE  
**RESERVATO**  
**ECCLESIASTICO**

COMMENTATVS EST  
CHRISTIANVS CAROLVS GEHE.



72  
1604 m



---

DRESDAE  
LITTERIS HARPETERI MDCCCLXXVIII.

DE

RHEGMA  
ECCLESIASTICO

GERMANY LIBRARY LONDON

ILLVSTRISSIMIS,  
GENEROSISSIMIS EXCELLENTISSIMIS DOMINIS  
DOMINO  
*FRIDERICO LVDOVICO WVRMB*  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXO-  
NIAE SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO, COMITI CONSISTORIANO,  
DEPUTATIONVM DIRECTORI, QVAE OECONOMICES, FABRICARVM,  
REIQue MERCATORIAE CVRAM IN SAXONIA  
GERVNT,  
DYNASTAE GROSSEN - FVRRAE rel.  
ORDINIS CAESAREI SANCTI IOSEPHI EQVITI.

DOMINO  
*CHRISTIANO GOTTHELF* S. R. I. LIBERO  
BARONI a *GVTSCHMID*  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE  
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO, ET COMITI  
CONSISTORIANO  
DYNASTAE KLEINWOLMSDORFII rel.

DOMINO  
*ADOLPHO HENRICO* S. R. I. COMITI  
a *SCHOENBERG*  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE  
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO, ET COMITI  
CONSISTORIANO  
DYNASTAE BERTHELDORFII, NIEDEROTTENDORFII rel.

DOMINO  
IOANNI HENRICO AVGUSTO  
ROEDER

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE  
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO, ET COMITI  
CONSISTORIANO rel.

ET

DOMINO  
*PETRO* S.R.I. LIBERO BARONI ab HOHENTHAL

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE  
A CONSILIIS INTIMIS, LEGATO IN COMITIIS IMPERII,  
CORPORIS EVANGELICORVM DIRECTORI,  
DYNASTAE KAYNAE, FRIESNITZII, STRVTHII rel.

DOMINIS ILLVSTRISSIMIS, GENEROSISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS

PATRONIS SVIS GRAVISSIMIS ATQVE INDVLGEN-  
TISSIMIS

Haec sacra esse voluit

Auctor.

ILLV-

# ILLVSTRISSIMI DOMINI,

**E**t si quidem sciebam hoc leue scripturae genus nec ingeniorum acuminis, nec doctrinae Vestrae praestantia et varietate satis dignum esse; eoque ipso tempore, quum haec scriberem, subtimere incipiebam, ne Vobis studium meum valde displiceret: nihil tamen minus a me impetrare ullo modo potui, quin hanc pietatis erga Vos meae publice testificandae occasionem plane intermitterem. Nam praepter insignem indulgentiam, qua patrem meum a multo tempore amplexi estis, incredibili potissimum humanitate, quam omnes in Vobis admirantur, mirifice sum confirmatus, ut hoc exiguum studiorum meorum specimen nominibus Vestris. Excellentissimis submisse inscriberem, meque hominem prorsus ingnotum Vobis quodammodo probarem. Eminent quidem omnia in Vobis, DOMINI, quae generis nobilitatem augere solent, sic, ut in hac aula celeberrima mirum in modum splendeatis; hoc tamen virtutis Vestrae praecipuum esse videtur, vt inferioris ordinis homines summa mansuetudine habeatis, qua nihil profecto suauius aut magis polite cogitari potest. Verum omnino Vos laudare nolui, veritus, ne id parum digne a me fieret, neque in tanta Vesta celebritate adeo necessarium esset. Hoc autem diligentissime facere volui, vt illius Vobis insitiae gratiae, quae maximum pondus habet, aliquo modo particeps fierem.

Condonetis modo, INDVLGENTISSIMI DOMINI, conatui meo, quem omni commendatione carere sentio. Praeterea Deum immortalem supplex oro, ut Vesta consilia, quibus Optimus Patriae Pater in Saxonia sapienter regunda viuit, felicissime euenire iubeat, quemadmodum adhuc factum fuisse omnes ciues laetantur. In primis autem Tibi, ILLVSTRISSIME L. B. ab HOHENTHAL, amplissimos Legati in Comitiis Imperii honores, quibus Princeps noster potentissimus Te nuper ornauit, pie ac saepenumero gratulor. Adsit Tibi Deus optimus maximus auxilio suo, Tuaque prudentissima studia in Saxonie reique Euangelicae emolumentum dirigat. Vobis deique Vestrisque, ILLVSTRISSIMI DOMINI, Splendidissimis gentibus quoduis felicitatis humanae genus semper largiatur.

Caeterum Vos maiorem in modum rogo, ut me gratia atque indulgentia Vesta haud plane indignum iudicetis. Quod si a Vobis impetravero, firmissimum salutis meae fundamentum iactum fuisse, semper existimabo. Quibus me measque res sic Vobis commendabo, ut nemini diligentius commendari cupiam.

## ILLVSTRISSIMI DOMINI,

## NOMINVM VESTRORVM EXCELLENTISSI- MORVM

cultor perpetuus

Christianus Carolus Gehe.

Quae.



**Q**uarenti argumentum in historiae Imperii Romano Germanici monumentis, quo ad edendum doctrinae qualiscunque specimen, hoc praesertim tempore, commode vti possem; hoc de Reservato Ecclesiastico sese mihi maximopere commendavit, inter alias hanc in primis ob causam, quia in eo pertractando singularem de consiliorum in Comitiis Imperii publice instituendorum ratione \*) nonnunquam disputandi opportunitatem reperiem. Etenim quis est, qui consiliorum publicorum egregii ponderis vim, excellentiam, utilitatem, grauitatem, non statim perspiciat? Quantus ibi hominum prudentissimorum, nobilissimorum, ac splendidissimorum conuentus? Quae legatorum sanctitas a tot tamque eximiis potentissimisque Imperii Principibus ad salutem totius Germaniae sapienter procurandam, in illam Imperii celeberrimam ciuitatem missorum. Qualis tandem Senatus, cuius dignitas, sapientia, auctoritas, frequentia, mihi semper visa fuit tanta, ut nescirem, quo comparandi genere statim vterer; dubiusque haesi, quin senatus Romani vetutissimi

\*) Huius antiquitatem accuratissime descripsit olim Chronicus Spirensis auctor, L. VII, c. 124. hoc titulo „Beschreibung des ganzen Processes so im Reichsrath auf der „allgemeinen Reichstände Versammlung zu dieser Zeit in Uebung gehalten.“

tissimi magnificentiam atque praestantiam hoc loco satis idonee commemorarem.

Quod vero ad huius rei scriptores attinet, et si eorum, sicut in omni rerum publicarum genere, insignem multitudinem inueniri probe intellexi; verum tamen nonnullos solum ex iis recensere volui. Inter quos Sleidani commentarii<sup>\*)</sup> prae caeteris eminent, et propter naturalem scribendi pulcritudinem, et ob aetatis rationem.

Actorum publicorum originalium de pace religiosa commentarios<sup>\*\*)</sup> tribus libris composuit Christophorus Lehmannus, rerum Imperialium peritissimus et fidelissimus auctor.<sup>\*\*\*)</sup> Is enim singularem diligentiam in colligendis actis adhibuit; ideoque fide dignissimus. Quae apud Thuanum, nobilissimum Galliae scriptorem, his de rebus leguntur, e Sleidano hausta a multis doctis hominibus existimantur. Lehmannus vero suppletus et continuatus<sup>†)</sup> praeter nonnullorum virorum commentationes et quaestiones de Pace religiosa ea praecipue continet, quae ab aeuī superioris anno quadragesimo tertio ad octauum usque Osnabrugae et Monasterii de rebus Ecclesiasticis acta fuerunt. Circa ius huius argumenti versati sunt praeter Schilterum, Paurmeisterum, Cranium et Conringium, multi alii iuris publici doctores, nostra praecipue memoria celeberrimi. Sed hi praetereundi a nobis, quoniam in tanta rerum vertestate quaedam dicendi breuitas necessaria est. Ad id potius, quod proposui, statim peruenio; ubi dupli fere modo utar. Primum enim Reseruati Ecclesiastici originem inuestigabo, eiusque historiam illustrabo: ex iis, quae in Pacis Osnabrugensis-

<sup>\*)</sup> De Statu religionis et reipublicae, Basileae a. 1556. forma maiori primum editi.

<sup>\*\*) Ex praefatione Chronicis Spirensis ad senatum Spirensem Francofurti ad Moenum scripta a. 1612. animadvertis, haec acta originalia loco continuationis Chronicorum a Lehmanno fuisse promissa, sed non prius quam a. 1707. in lucem edita maiori forma apud Francofurtenses.</sup>

<sup>\*\*\*)</sup> Sic iudicauit Melchior Goldastus de R. Boh. I, II. p. 78. Plura testimonia in Tob. Magiri Eponymologico Critico p. 510. extant.

<sup>†)</sup> Prodiit Francofurti ad Moenum a. 1709. forma maiori. Quo etiam loco Clarissimi Dasdorpii benevolentiam collaudo, cuius egregium in variis libris e bibliotheca Electoris nostri Serenissimi suppeditandis documentum milii dedit.

brugensis Instrumento in iuris perpetui vim sancita fuerunt in hoc genere, nonnulla additurus.

Origo huius rei repetenda ex contentione illa, quae ipso Pacis religionis facienda tempore inter Catholicos atque Euangelicos Imperii Status feruebat, \*) tantaque conciliandae tranquillitati stabiendaque impedimenta obiecit, ut bello tricennali iam finito, dissentientibus atque inimicitiae magis auctae quam diminutae viderentur. Quum enim, Comitiis, Transactionis Passauiensis auctoritate, anno 1555. Augustae Vindelicorum ad lites religiosas componendas institutis, Caesaris propositio die V. Februarii in Senatu Imperii lecta esset, variaeque consiliorum formulae exhibitae, in id Status inter se conuerterunt, ut pax firma ac stabilis quam primum in Imperio recuperaretur. Hinc ab Electore Moguntino facta die XXIII. Martii relatione, \*\*) ut de Caesaris propositione deliberarent Status, more consultationum publicarum consueto, in singulis Ordinum collegiis hoc negotium tractari coeptum est. Atque Electorali Collegio haec pacis facienda formula \*\*\*) statim probata fuit, qua in genere, inter alia, statuebatur, ne posthaec ullum Statum Imperii, qui priscam doctrinam vel Augustanam confessionem amplexus vel amplexurus esset, aduersus cuilibet insitam Dei colendi libertatem, a religione, fide, statutis, a ritibus denique Ecclesiasticis, quos vel instituissent Status, vel instituturi essent, depellere, bellumque eo nomine, detrimentum, aut contumeliam inferre licet. In Principum autem Ordine mox exinde contendendi occasio nata est, quod inter eos, qui electi erant, ut ineundae pacis carmen conscriberent, Catholicorum nonnulli religionis mutandae potestatem Ecclesiastico Ordini negarent, ad saeculares solum modo Status restringendam, sanciendumque postularent sic; ut,

si

\*) Illustris locus est in Friderich Hortleders libro *von den Ursachen des Teutschen Krieges*, Gotha 1645, forma maiori tomis II. edito, L. VI, c. X, §. 7.

\*\*) Retulit simul in Senatu Ottonis, Episcopi Augstanti, Patris purpurati, obnunciationem, ne quid in saudem Euangelicorum hisce Comitiis statueretur, solemniter factam.

\*\*\*) Acta apud Lehmannum I, 4.

si quis saecularium Electorum vel Statuum interim, donec lis religiosa in Concilio plane dirempta esset, antiquae Religioni vel Augustanae Confessioni se addiceret, id in pacis contrahendae praeiudicium nullo modo fieret; adiecta simul cautione, hanc legem ad ea plane non pertinere, quae Ecclesiastici Ordinis obligationi officioque repugnarent. Hoc quidem carmine in Principum Imperii Collegio relato, Euangelici ad obicem isti restrictioni ponendum, rogarunt, ut, omissis iis, quae de obligatione officioque Ecclesiasticorum proposita erant, loco idoneo haec formula Constitutioni Pacis insereretur; si quis Electorum, vel Statuum interea donec religionis dissidium penitus tolleretur,<sup>\*)</sup> antiquam Religionem vel Augustanam Confessionem profiteretur, ut is, qui hoc vel illo rituum genere in Deo colendo vteretur, omnium particeps ac compos haberetur, quae Pacis futurae Decretu vtriusque religionis cultoribus tribuerentur. Dixerunt tamen, se pacis obtinenda studiosos ab hac intentione, cui tantopere videant Ordinem Ecclesiasticum repugnare, tum libenter recessuros, quem Ecclesiastica iurisdictio, communii Statuum consensu, in rebus externis saeculariumque territoriis, usque ad dissidiiorum plane dirimendorum tempus, suspenderetur; eaque res in leges Camerae Imperii referretur, ibique nihil interea de rebus Ecclesiasticis cognosceretur. Sed haec contentio<sup>\*\*)</sup> non desit in correlatione, quam vocant, cum Electoribus instituta. Formulam enim Catholici Principes sic temperarunt, ut in genere quidem verba, de Statibus ob Augustanam Confessionem nec institutarum nec instituendarum ceremoniarum ratione turbandis, probarent, in fine autem se obstringi iis legibus abnuerent, quae cum Ecclesiasticorum Statuum officio ac fide pugnarent. Quibus plane reiectis, Euangelici Principes Electoralis Collegii formulam reperunt, hoc tamen discrimine, ut loco verborum „ut in posterum „nul-

<sup>\*)</sup> Quod secundum Comitiorum Ratisbonensium Recessum de a. 1541. in Concilio oecumenico, in Germania habendo, fieri oportuit.

<sup>\*\*) I</sup>nuidiam huius dissidii inter Imperii collegia in Evangelicos status reiecit Andreas Ernstbergerus in libro de autonomia P. I. c. 4. Monachii 1586. edito. Quem recte notavit Springerus de pace relig. c. 8. p. 97.

„nullum Statum ob Augustanae Confessionis fidem“ et quae reliqua sunt, scribi peterent, „vt deinceps nullum Statum quoque tempore Augustanam Confessionem amplexum bello aut alio modo turbare fas esset.“ Cuius formulae duplex exemplum die XXI. Maji Electoribus exhibitum, ibidemque in diuersa suffragia distractum fuisse apud Lehmannum \*) reperio. Electores enim Ecclesiastici veriti, ne officium suum neglexisse viderentur, quum in tuenda Ecclesiastici Ordinis auctoritate religionisque antiquitate haud maius in suo quam in Principum Collegio studium consiperetur; formula, cui ante haec fauerant, prorsus reprobata, in reliquorum Statuum Catholicorum sententiam descenderunt, atque Ecclesiasticum Ordinem a facultate religionis immutandae omnino remouendum esse coniunctim contendorunt. Duplici autem potissimum via ad hoc perueniendum putabant; si quidem vel Saecularium Statuum mentione solum facta, ad illos sacerorum mutandorum ius arctissime restringeretur; sin Ecclesiasticus Ordo singulatim e numero reliquorum Statuum eximeretur, qui hac facultate libere vterentur. Quae ratio tanquam magis expedita praeualuit. Pacis igitur faciendae formulae die XIX. Iunii in Senatu Imperii lectae post ea verba, quibus in genere cauebatur, ne deinceps ulli ob Augustanam Confessionem Statui molestia bellumque crearetur, hos quidem limites ponи studuerunt Catholicи, vt hinc excepti intelligerentur Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Capitula, aliquae Ecclesiastici Ordinis Status, ita, vt, si quis eorum ab antiqua religione desciseret, ille statim ipso iure et facto statu officioque indignus iudicaretur. Capitulis autem vel quibus ea res seu iure seu consuetudine competeteret, aliud antiquae fidei addictum in eius locum eligendi ius esset \*\*). Quo facto, cura Electorum Principumque Euangelicorum statim libelius in Senatu Imperii prolatus, quo contra omnem exspectationem et spem suam accidisse testabantur, Ecclesiasticos Electores, priori placito totiusque Collegii decreto relicto, cum Principibus Catholicis sic

B 2

con-

\*) Act. Publ. Orig. I, 8.

\*\*) Acta apud Lehmannum I, 10.

conspirasse, ut facultate sacrorum mutandorum Statibus Ecclesiasticis ademta, eam ad Saeculares tantum restringendam esse censerent. Caeterum a priori sententia, postquam cum vniuerso Electorum Collegio iam in ea consensissent, \*) recedere, et Christianae disciplinae praeceptis, et sanae rationis legibus esse inimicum. Nam ea quae Deus tam prisco quam nouo foedere in salute generis humani administrastra praeceperisset, ad omnes omnino pertinere; itaque iniquum esse illa certis finibus includere, ac pariter se aliosque ab aeterna felicitate arcere. Deinde, neminem ex barbaris populis ratione aut religionis suae praeceptis mediocriter imbutum facile inueniri, qui totum genus humanum si sacris suis adiungere possit, id non summopere efficerre studeat; quanto magis Christianis eo laborandum, ut libera Dei vere colendi potestas cuique indulgetur, quemadmodum etiam a Deo olim seuere constitutum fuisset. Denique e sacris libris, patrum decretis, conciliorumque auctoritate, demonstrari posse, inuito citraque cuiuscunque iniuriam dicebant, hos qui veteris ac Catholicae Ecclesiae sibi sumant titulum, non sine magna Dei contumelia, reipublicae Christianae iactura, multorumque hominum periculo, religione adhuc bonisque Ecclesiasticisabusos fuisse. Verum tamen ut pax recuperetur, se permettere, ut et suas leges, ritus, atque ceremonias Catholici obtineant, et bonis omnibus, possessionibus, vestigalibus, iure, priuilegiis vtantur, fruantur, donec religiosa lis in concilio prorsus tolleretur. Si vero parum tute sibi cautum hac ratione Catholici Status arbitrentur, se huic rei accuratius inuestigandae nunquam desuturos; dummodo nihil in genere derogetur. Tanto minus autem sese probare, ut Episcopi tamquam ipso iure et facto officiis beneficiisque indigni, sanctioni pacis poenali subiicerentur hanc ob causam, quia Augustanae Confessionis doctrinam veram esse credidissent. Sic enim fore, ut suae religionis confessores sociosque oppugnare teneantur Euangelici; totamque tandem suam causam infami praeiudicio ipsi damment. Qui vero audiuerint Ecclesiasticum ordinem id potissimum

me-

\*) Acta ap. Lehm. I, 13.

metuere, si quidem Ecclesiasticis Statibus sacra mutare liberum esset, ne Episcopatus aliqua Ecclesiae collegia profanarentur, et ab Ecclesiis auulsa sensim sensimque in potestatem Saecularium Statuum venirent: quo se semper abhorruisse, plurimum testati, nec aliud quicquam studuisse, quam ut bona sacra ad priscam institutionem reuocata, veris vībus accommodarentur, absque Ecclesiis neutiquam sciungerentur. Praeterea se minime resistere, ne Pacis facienda Constitutione hoc differte prohibeatur, quo minus Episcopatus et collegia, vbi cultus diuinus emendaretur, dominatus saeculares fierent, aut ius hereditarium in iis sibi quisquam vindicaret: vt potius Episcopo mortuo, vel antistitie munere se abdicato, libera collegiis tum electio quum bonorum administratio esset.

Etsi vero iam hunc colorem metus consiliis induxerant Status Catholicorum et Saeculares et Ecclesiastici; grauius adhuc tamen hī angi videbantur, ne, Episcopis Germaniae ab Ecclesia Romana, sine vīla iuriis diminutione aut dignitatis, facultate recedendi concessa, paulatim euaneferet summum regimen, quod in illos Pontifex praeter diurnam maiorum consuetudinem, vi transactionum cum Imperatoribus Germaniae, Henrico V. et Friderico III. initarum, a multis annis exercuerat. Vnde mirum non esse videtur, conditionem tranquillitatis restituenda tam parum profuisse, quam Euangelici Status proposuerant. Praeterea quoque in alendo acuendoque huius certaminis seruore, incredibile est, quantum effecerit scriptum, \*) quod a Pontificis amicis priuatim inter Status Catholicos in sua causae commendationem distributum erat.

More consultationum publicarum in Imperii Comitiis receptum erat, vt, Statibus a se inuicem, vel ipsis Statuum Collegiis inter se dissidentibus, argumentum dissensus vna cum iis capitibus, quae universo Imperii Senatui comprobata fuerunt, ad Imperatorem, vel ad eum, qui eius locum tenet, referatur, precibus additis, velit, si

B 3

quae

\*) Cuius argumentum atque Euangelicorum statuum responsionem reperies apud Sledanum l. XXVI. postumo.

quae inueniri possit, dissidii componendi rationem clementer afferre. Omnis itaque huius causae controuersia, Collegio ciuitatum consente, ab Electoribus ac Principibus apud Ferdinandum Romanorum regem, die XXI. Iunii exponitur, quippe qui Caroli<sup>\*)</sup> fratris nomine hisce comitiis intererat; iamque antea cum reliquis Caesaris legatis publice priuatimque magnam profecto in litibus componendis operam laudabiliter collocarat, hoc in primis consilio lato: <sup>\*\*) vt Ecclesiastici quidem Status Augustanam Confessionem professuri, loco officioque suo mouerentur, sacrorum vero Collegiorum socii iis certam pensionem annuam ad commodos vitae honeste ducendae usus praestare tenerentur.</sup>

Quum igitur apud hunc mitioris ingenii principem Ordinum sententia de Pace sancienda vtrimeque peroraretur; Euangelici Status ad causam suam tute communiendam Ferdinandu libellum singularem obtulerunt, quo rationes iam antehaec in Senatu dictae clarius demonstrarentur, adnexis quibusdam aliis, conuentuum praecipue nouissimorum, Noribergae de anno 1532. Ratisbonae d. anno 1541. et Pasauiae 1552. decretis, vbi potestatem sacrorum mutandorum liberimam paci essent, quibusque adeo mouerentur, vt contrariam Catholicorum Statuum sententiam nullo vñquam tempore probarent; nec permitterent, vt illa formula de eximendo Sacro Ordine, in Constitutionem pacis referretur; nec se ad exequendam tuendamue eiusmodi sanctionem obstrictos esse palam profiterentur. Quibus a rege cognitis, is die XXX. Iunii, postquam exemptionis Ordinis Ecclesiastici a iure sacrorum emendandorum, vrgentibus Episcopis, plurimum mentionis fecisset, sic respondit: ass̄equi se post maturam deliberationem non posse, quid omnino Statibus Euangelicis de iure ea exceptione derogaretur, quum eos solum spectaret, qui officium electumque ordinem sacrum cum patria religione deserturi essent, aut iam deseruerint;

<sup>\*)</sup> Caesarem valetudine aliquisque negotiis detentum fuisse Sleidanus auctor est I. XXV. edit Basil. 1556.

<sup>\*\*) Acta apud Lehmannum I, 12 — 15.</sup>

sent; neque hoc quidem durius statui, vt beneficia et praefectureiae sa-  
 crae in eo statu permanerent, cui pia institutione fuissent deuotae.  
 Abominandum esse, testamenta hominum piorum, in primis in Dei  
 honorem facta, post tot annos duntaxat infringere. Praeterea et di-  
 uino et humano iure, Publicis praesertim Constitutionibus, et no-  
 minatum Pacis publicae atque transactionis Passauiensis, praeceptum  
 esse, vt Ecclesiastici aequae ac Saeculares Status Imperii quieto imper-  
 turbatoque rerum iuriumque vsu gauderent, quem, hac exemptione  
 neglecta, haud quaquam Ecclesiastici Catholicorum Status consequi  
 possent. Sic enim fore, vt qui a Sacro ordine ac veteri religione de-  
 sciscerent, retenta bonorum ecclesiasticorum administratione, eorum-  
 que percipiendorum fructuum facultate, legum et disciplinae Eccle-  
 siasticae vim turpiter spernerent; neque hi contemtores ac desertores  
 vlla amplius legum seueritate coercendi viderentur. Quin omnem  
 hac ratione animorum conspirationem inter Episcopos, antistites, col-  
 legiorumque sodales iri sublatum; quum tamen aequissimum sit, vt in  
 regendis Sacri Ordinis praefecturis non nisi probi atque idonei homi-  
 nes adhibeantur. Caeterum eiusdem Ordinis membris ius animaduer-  
 tendi concedi oportere in eos, qui iureitando obstricti bonaque fide,  
 ab Ecclesiastica institutione desciscerent, muneribusque iis interdicen-  
 di potestas, ne sacris collegiis potius quam ipsis desertoribus ea defe-  
 ctio periculosa euaderet. Hanc itaque suam esse sententiam, seque  
 Euangelicos Status benebole hortari, ne conditioni ipsis minime da-  
 mnoſae, Catholicis vero Statibus Ordinique Ecclesiastico perquam ne-  
 cessariae, diutius resisterent; apud animum reputantes, si Catholicci  
 Status ipsis praefecturis, collegiis ac beneficiis Ecclesiae, quae contra  
 vim Transactionis Passauensis usurparent, quiete vti paterentur; ne-  
 que etiam Euangelici postulent, vt ministris Ecclesiae ac sacerdotibus  
 officium religionemque Catholicorum contemnentibus, locus pristi-  
 nus relinquatur. Nam parum aequae consentaneum vel ad Pacem ob-  
 tinendam vtile fore, quum Euangelici ad id, quod sibi grauissimum  
 sentiant, Catholicos Status velint adigere, vtpote administrationem  
 vsumque sacrorum beneficiorum iis relinquere teneantur, qui sacra  
     ſua

sua spernerent atque ignominiose haberent. Quod regis responsum vbi a Moguntino Electore in Senatu relatum esset, die V. Septembris, dici vix potest, quam variae in animis Statuum commotiones ortae sint contentionesque nouae. Catholici enim in causa sua propugnanda regis fauore magis confirmati quicquam de conditione remittere nolebant; Euangelici vero rei suae aequitate confisi ut sibi prouiderent, haec potissimum in Senatus frequentia dixerunt: id se indubitate sperasse, regiam maiestatem aequis conditionibus viam aliquam pacis incundae commonstraturam; iam autem quoniam regium responsum Catholicorum Statuum conditionem mirum in modum fouveret, Euangelicis quidem religionis exercitium tribui, verum tam arctis limitibus circumscriptum, ut non solum Saecularibus Imperii sed Ecclesiasticis etiam Statibus ad Augustanam Confessionem via fere penitus occluderetur. Consilii iam olim ac praesertim in his Comitiis coniunctim collocati hoc praecipuum fuisse, ut moderatis adeoque Christiana fide dignis remediis lis atque discordia ob religionem orta tolleretur. Verum enim iure quum illa Ecclesiastici Ordinis exceptione veluti praedium sententia Catholicisque rebus vnicے fauorabili haec commodissima via firmissime obstructa esset, nihil aliud quam Augustanae Confessionis praedamnationem aduersus ea, quae in Pacificatione Norimbergensi anno 1532, decreta fuerant, ne sine haereseos quidem opprobrio, manifesto apparere. Atque subditis Statuum Imperii multo firmius adhuc praeccludi hanc viam, quo minus ea ipsis Statibus superioribus pateret. Hanc denique agendi rationem a pace inter Status Imperii reconcilianda plurimum abhorrere. Sed in Statuum etiam libello, \*) quae duplicatio vocari solet, ad regis responsum composito, eodemque die Ferdinando caeterisque Caesaris legatis oblato, Catholici quidem regi, quod in hac re tam praeclarum suae erga Ordinem Ecclesiasticum voluntatis documentum praestitisset, gratias egerunt; Euangelici autem praeterea potissimum testati sunt: nunquam hoc propositi sui consilium fuisse, ut Ordini Ecclesiastico regendorum vel admis-

\*) Acta apud Lehmannum I, 17. 18.

administrandorum bonorum sacrorum rationem praescriberent, multo minus id se voluisse, ut praefecturae sacrae, quibus magnam Imperii partem fulciri probe sciant, tollerentur, aut ad profanos usus accommodarentur; nec profecto huius contentionis se autores extitisse, quae praeter Electoralis Collegii priorem voluntatem ab aliis quibusdam Statibus excitata esset. Tum rationes breuiter repetierunt, ob quas iam antea negassent, se in exemptionis Ordinis Ecclesiastici formulam, sine praesentissimo infamiae ac praeiudicij suae religionis periculo, assentiri villo modo posse, denuo modeste precati, ut secundum Norimbergensis, \*) Ratisbonensis, \*\*) ac Spirensis \*\*\*) recessus decretum libera mutandorum sacrorum facultas Statibus Imperii omnibus omnino indulgeretur. Rex autem postquam hunc Statuum libellum acceperat, †) pro rerum tractandarum arte, qua plurimum valebat, negotium tam difficile melius celeriusque expeditum iri ratus sermone quam litteris, erga Statuum Imperii legatos ad se vocatos, tali oratione usus est: haud sine acerbissimo doloris sensu sese animadvertisse, illam contentionem a Statibus finiri non posse, nec unquam plane finitum iri; iis itaque sic consulendum arbitrari, ut id, quo animi tam vehementer a se inuicem distarent, imperatori ex plenitude potestatis definiendum traderent, hac quidem Euangelicorum causae addita cautione, ut in ipsa Ecclesiasticae exemptionis formula verba de iure et facto omitterentur.

Hinc nouum Pacis carmen compositum, et in Senatus frequentia die X. Septembris paelectum fuit. Quo facto, de re controuersa in Electorum Principumque collegiis ac ciuitatum seorsim consilia capi coeptra sunt. Interim vero Euangelicorum Statuum legati rursus contestati: se quidem bene intellexisse ad priorem Ecclesiasticae reservationis legem nonnihil temperamenti a rege fuisse allatum, affensus tamen nunquam fore, ut ea Pacis constitutioni inderetur.

Vbi

\*) De anno 1524.    \*\*) De anno 1541.    \*\*\*) De anno 1544.

†) Acta apud Lehmannum I, 19. 20.

Vbi res eo adactae essent, Pacis restituenda deliberatio suscepta penitus abruptum iri videbatur. Sleidanus enim Ferdinandum Euangelicis id solum nunciari iussisse tradit: nihil amplius eis tribui posse, eaque hoc tempore concedi, quae tot annis tamque crebris consiliis impetrare non potuissent; haberent igitur eius rationem; nam alioquin verendum, ne a Comitiis discederetur re infecta. Quod si fieret, indeque aliquid detrimenti respublica caperet, non esse quod vel in Caesarem, vel in se ipsum culpae conferri posset, qui tam patienter res Euangelicorum habuisset, in eaque ratione adhuc perseuerasset; nunc haud quaquam sibi licitum esse Pacis constitutionem diutius differre; itaque decem dies ipsis largiri, ut interea dominum referrent, simulque clare sibi responderent; vbi dies illa cessisset, istos, quod et studii nihil intermisissent, ut reliquis de religione consulerebatur, et Caesari aut regi aliam rationem proponere, iis haud liberum esset, *consensos esse*; praesertim etiam ideo, quoniam a rege nonnulla remissa fuissent.

Qua aliquantum seueriori regis voluntate audita, nihilo tamen minus assensus, siue potius dissensus, legem ab Euangelicis propositam Lehmannus testatur. \*) Legatos Electorum Principumque absentium Euangelicorum sententia dominorum suorum acceperat, libello singulari Ferdinando respondere die XX. Septembbris eo quidem modo: Gratissime Electores ac Principes, dominos suos, ex decreto regio agnouisse paternam prorsus regiae maiestatis follicitudinem in Pace Imperii stabilienda; nec sibi aliud quicquam magis curae cordique esse: \*\*) quapropter autem in id neutiquam assentirentur, vel tacite

\*) v. Acta publ. I, 27.

\*\*) Statim ab initio Comitorum Euangelicos Status pacem illimitatam voluisse, patet ex litteris Numburgi post Dominicam Reminiscere a. 1555. die lunae, ad Caesarem Maiestatem datis, Augusto, Saxoniae Electore, Joachimo, Brandenburgiae Marchione et Electore, Ioanne Friderico et Ioanne Gulielmo Saxonie dueibus, Joanne, et Georgio Friderico, Brandenb. Marchionibus, et Philippo, Landgrauio-Hassiae, subscriptis. Principes enim hi conuenerant eodem loco, ut de confraternitate et de successione mutua pacicerentur.

cite paterentur, ut exceptio Ordinis Ecclesiastici Constitutioni Pacis infereretur, eius rei idoneas ac graues causas saepius iam attulisse: ex quibus nunc denuo regiam maiestatem obtestari velle, ut prioribus recessibus Imperii consentanea Pacis constitutio fieret, exercitiumque religionis liberrimum utrumque suppeditaretur: si autem, repudiatis his causis, inhaerere suae voluntati velit, Ordinisque Ecclesiastici exemptionem, *Vice Caesaris*, sancire decreuisset: tum sibi quidem praeter deprecationem atque obnuntiationem iam interpositam, aliam rationem non suppetere, qua regiam maiestatem a proposito abstrahere possint; sed simul religionis tuendae causa hoc declarare atque manifestum facere, quantum ad se attineret, in istud caput se neutiquam consentire, nec unquam consensuros fore: \*) in caeteris pacem optima fide seruaturos.

Ex his satis clarum esse opinor, Euangelicorum Status hanc controuersiam regi definiendam haud commississe; verum solummodo eius arbitrium rogassem; etsi praeter Springerum \*\*) alios, Catholicorum praecipue, viros doctos contrarium existimasse memini.

Quamquam igitur Euangelicorum Status ut Pacis constitutio promulgaretur cum reliquis consentiebant, eorum tamen legati in libello cuius argumentum antea tradidimus, Ecclesiastici Ordinis exceptioni has leges adiici rogarunt die XX. Septembris i. Status utriusque religionis inter se de capite isthoc conuenire non potuisse 2. regem Ferdinandum ad petitionem Sacri Ordinis hanc item decidendam in se suscepisse, 3. si quis ex Ecclesiastico Ordine ad Augustana sacra accederet, ut per id honori dignitatue eius nihil detraheretur, 4. ut denique, quocunque in hac re statutum sit, illud in praeiudicium controuersiae in posterum componendae neutiquam vergeret. His deinde post acerrimam contentionem concessis, praeter alteram legem

## C 2

de

\*) Praecipua quoque causa huius dissensus erat, quoniam Status Euangelici metuebant, ne, hac sententione, futuri Concilii libertas prohiberetur, quum quisque animi sui sententiam retineret, nisi beneficium Ecclesiasticum amittere vellet.

\*\*) De Pace Rel. c. 8. p. 100.

de petitione sacri Ordinis, regis auctoritate, reliquae in Pacis constitutionem receptae sunt; quemadmodum eae in Pacis religiosae die XXV. Septembris anno 1555. promulgatae constitutione vere deprehenduntur. \*)

Electores quidem ac Principes Euangelicorum libellum protestationis legis submiserant, \*\*) quem ipsi Pacis constitutioni, Catholicis nimirum de capite controverso quicquam remittere nolentibus, adiici curarent; atque hoc modo dominos suos in Reseruatum Ecclesiasticum neutiquam consensisse solemniter declararent; postea tamen quum leges libello nouissimo contentae iis concessum fuisset, ut Pacis constitutioni adderentur, excepta vnica de petitione Ordinis Ecclesiastici; hac ratione causae sua efficaciter consultum iudicarunt, vteriori remque protestationem neglexerunt. Accesserunt aliae huius rei causae. Praeterquam enim, quod omnem a sacris suis infamiae notam, ipsiusque controversiae in posterum definienda praeiudicium absterferant Euangelici; haud fore, credebant, se ad exequendam illius capitum sanctionem obligatos, aut prohibitos, quo minus, causa integra, in Comitiis futuris ius religionis liberrimum obtinerent. Nam quod a Ferdinandῳ rege, ex plenitudine Imperatoriae potestatis sibi commissa, in legis perpetuae efficaciam statutum esse a nonnullis existimatetur, id facile refutari posse his rationibus credebant; quod ad transactionis vim consensus vtriusque partis requiratur; legisque vniuersalis obligatio a Caesaris auctoritate et consensu Statuum communi solummodo proficiscatur. Totius denique capitum efficaciam deleri per verba adiecta: ad conuentionem Ordines dissidentes hac de re non potuisse

\*) Recess. Imperii de anno 1555 §. 18. und nachdem ic. „Wo ein Erzbischoff, Bischoff, Prälat, oder ein anderer Geistlichen Standes von unsrer alten Religion abtreten würde; daß derselbe sein Erzbistum, Prälatur und andre beneficia, auch damit aller Früchte und Einkommen, so er davon gehabt, ohne einige Beigabe, rung und Verzug, jedoch seinen Ehren ohnmachtelig, verlassen.“ auch den Capitulo u. s. w. Claucula Euangelicorum addita: „welcher sich aber beider Religionis Stände nicht haben vergleichen können.“

\*\*) Acta publ. apud Lehmannum II, 22. 23.

potuisse adduci; praeterea Transactione Passauensi \*) praeceptum esse, vt id demum in causa religionis firmum atque ratum haberetur, quod communi Statuum consensu, interueniente Caesaris auctoritate, decretum esset. Pace itaque facta, a Comitiis discessum fuit.

Verum haud diu ea lis sopia mansit. Vix enim anno sequenti Comitia Ratisbonae coepta fuerant, ac noua discordia inter Status exarsit. \*\*) Albericus Bauarus regis nomine quum moneret Statuum Imperii legatos, vnde deliberatio incipienda, inter alia hortatus, vt viderent, ne dissidia atque odia religionum in Imperio diutius flagrarent; viamque pacandorum animorum religionumque conciliandarum diligenter inuestigarent; Euangelici statim, sese nullam profecto planiorem viam inuenire, verissime dixerunt, quam si obstaculum superiori anno per Referatum Ecclesiasticum suae religioni positum, remoueretur; eiusque rei ante omnia rationem habendam, additis pristinis causis, quas die XXII. anni LXI. Ferdinando rursus obtulerunt. Respondit rex die V. Februarii LVII. eam litem in prioribus Comitiis secundum Catholicos Status definitam esse; seque iam tum rationes edidisse, cur definiri aliter non posset; se quidem meminisse, Euangelicos in exemptionem Ordinis Ecclesiastici \*\*\*) consentire noluisse; sed illos postmodum cessisse, nec contradixisse quo minus caput de exceptione Ecclesiasticorum aequa ac caetera Constitutioni Pacis religiosae inserta fuissent; quin et in Tabulis decreti subscriptio ne †) professos esse omnia quae eo continerentur, capita scientibus

## C 3

ipfis

\*) §. So viel aber die Vergleichnus.

\*\*) Memorabile est Lutheri consilium et quasi diuinatio, (Tom. V. Isleb. p. 307. sq.) qua Principes Euangelicos monuit, ne in Pacificatione Norimbergensi a. 1532. instituta, de reformatione Episcoporum quid proponerent, sed potius rerum evenitum exspectarent. Atque credibile est, Hermannum Colonensem maiori successu territorium suum (a. 1536.) reformasse, nisi magna clade a. 1547. affectae fuissent res Euangelicae, praefatio Muhlbergensi.

\*\*\*) v. Acta apud Lehmannum, II.

†) Fuerunt qui ob subscriptionem Recessus d. a. 1555. legatos Euangelicorum admodum reprehenderent eosque hoc aduersus voluntatem dominorum suorum fecisse argue-

ipsis ac volentibus esse conclusa, eaque optima fide se seruatos. Suo igitur hortatu omitterent nouam contentionem, atque, vti in aliis, ita in hoc etiam capite promissam fidem sanctissime haberent.

Illi vero die XVII. Februarii exhibito nouo libello, nunquam se assensu probasse, affirmant, vt Ecclesiasticis Imperii Statibus facultas amplectendae Augustanae Confessionis sub poena amissionis beneficiorum adimeretur; id tum ex historia rei, vti in Comitiis Augustanis gesta sit, tum ex ipsa Pacis Constitutione clarissimum esse. Transactione vero Passauensi hoc demum in rebus Religionis conclusum haberi, de quo Statuum Ordines inter se et cum Caesare conuenissent; sicut et formula Reseruato Ecclesiastico adiecta testetur; vnde sequi, peculiarem dissensum eo tempore inter Status Imperii fuisse. Indolem denique Constitutionum ex plenitudine potestatis imperatoriae sanciendarum esse eam, ut consensui partis ullius nihil praediudicetur. Reseruatum quoque Ecclesiasticum ad ipsius Pacis substantiam non pertinere, vt nihil potius illi magis inimicum esse possit, hanc in primis ob rem, quia flagrante contentionis grauissimae, nec denique compositae, ardore, Constitutioni, sola regis auctoritate, iniunctum fuerit. Se tandem promisso quidem pacem seruare, sed in tantum, quantum ad se pertineat. Quae etsi quidem verissima erant, ad ea tamen Ferdinandus nihil nisi priora die XXVII. Februarii repetiit. Hinc siebat, vt Euangelici Principes prioribus argumentis infisterent; sibique haud tutius prospiciendum rati quam ut publice testarentur: si quis ex Ordine Ecclesiastico ad se accederet, nunquam in eo operam collo-

arguerent. Verum legati officio optime satisfecisse videntur ideo quoniam Euangelici Principes, praeter Reseruatum Ecclesiasticum, totam Pacem sanctissime seruare spoponderunt. Vid. liber sub nomine fictio Scipionis Aretini a. 1633. diuulgato: „der geistliche Vorbehalt aus seinen Gründen erörtert, daß ist, gründliche demonstration und Beweisung, daß der Geistliche Vorbehalt, ob er gleich dem Religion Frieden mit einverlebet, die Protestirenden Stände keinesweges obligire und verbinde.“ Cuius libri Auctor fuisse dicitur Iacobus Lampadius, rerum publicarum peritissimus scriptor.

collocaturos, ut poena huic facto a Catholicis statuta executioni mandaretur. Nec aliud quicquam eo tempore mutatum esse his in rebus, constat. Verum eodem seruore contentio resuscitata est in Comitiis anno 1559. Augustae Vindelicorum institutis a Ferdinando, Caesare facto, postquam Carolus V. paulo ante Imperio se abdicauerat. Nam Euangelici non omiserunt, denuo Reseruatum Ecclesiasticum impugnare. Sed sine vlo successu, quamvis tum minis quam precibus vterentur. Idem euenit in Comitiis ab Imperatore Maximiliano II. anno 1566, in eadem ciuitate habitis. Vbi enim Euangelici Status, diffensu in hac re repetito, se suasque res solemni protestatione tuiti; legatorum discessio facta est.

Itaque haec publicae contentionis semina, quamvis radicitus haud euulsa, quodammodo forte suppressa videbantur, vsque tum noua de Reseruato Ecclesiastico disceptandi occasio nasceretur quum nonnulli ex Ordine Comitum Nobiliumque Euangelici aegre ferrent, se singularibus Ecclesiasticorum Collegiorum statutis, maxime iuris iurandi formula ab iis praestanda, qui in eiusmodi collegia recipi stuperarent, a sacris praefecturis vehementer arceri. Quod igitur obstaculum ut remoueretur, sibique liber ad Ecclesiastica beneficia aditus pararetur, sed sine vlo successu, efflagitarunt Comites Euangelici; quemadmodum Lehmannus in actis publicis \*) vberius narravit.

Adhuc restat, ut illarum litium breuissime mentionem faciamus, quae ab anno LXXXII. vsque ad annum LXXXIII. saeculi decimi sexti, Rudolpho II. gubernacula Imperii tenente, propter Reseruatum Ecclesiasticum litteris armisque acriter gestae fuerunt. \*\*\*) Exinde Germaniae veteri labe nondum sanatae recens vulnus inflictum.

Quum

\*) Lib. II, 7 — 10.

\*\*\*) Copiosius huius belli totiusque controuersiae historiam narrauit Thuanus libro XVII. Famianus vero Strada in historia belli Belgici affectuum intemperantia duabus variis commentis verborumque contumeliis narrationem foedauit.

Quum enim Gebhardus Truchsesius, \*) Archiepiscopus Coloniensis iam variis anno LXXVIII. clandestine habitis consiliis, die XIX. Decembris anno LXXXII. Augustanae Confessioni nomen publice profiteretur, Status Euangelici hanc opportunitatem haud praetermittendam rati, Gebhardum, in primis Elector Palatinus, in emendandis territorii Coloniensis sacris adiuuerunt, atque inter rationes, saepius ad rescindendum Reseruatum Ecclesiasticum adhibitas, id quoque proposuerunt: etiamsi concederetur, quod concedi quidem non posset, in sanciendo Reseruato rite omnia et cum assensu Ordinum Euangelicorum fuisse peracta, nihil tamen tum in hac causa fuisse definitum, si Episcopus, non sua solum auctoritate, sed collegii sociis vel omnibus, vel, vii nunc acciderit, quibusdam tamen assentientibus, sacra mutare vell. Quod aliter quam consentientibus cum Imperatore Statibus decidi nequeat. In Camera etiam Spirensi ob turbatam possessionem a Gebhardo actum Lehmannus auctor est. Nam Ernestus Bauarus, a reliquis Capitularibus in Gebhardi \*\*) locum electus, Hispanorum militum ope Coloniense territorium occupauit, Bonnam anno 1584. expugnauit, Gebhardumque coegit ad Argentoratenses confugere, apud quos Decani munere in Collegio Episcopali fungetur.

Quo factō Reseruati Ecclesiastici sanctio executioni quidem manata fuit, sed magis armorum vi quam iustitia; protestantibus publice coniunctimque Euangelicis Statibus contra omne iuris aut facti praeiudicium; quod itidem factum est in Comitiis anno 1594. et 1598. habitis.

Decen-

\*) Successerat Salentino Isenburgensi anno LXXVII. in Archiepiscopatu; Anno LXXXIII. vero Agnetem Ioannis Georgii, Comitis Mansfeldii filiam, in matrimonium duxit.

\*\*) Ab Episcopo Vercellensi, Pontificis nuncio, Kalendis Aprilibus anno LXXXIII. proscriptus et a munere Electorali remotus fuit. Aduersus quem inauditum morem Electorale Collegium in Comitiis Ratisbonensibus vehementer questum est pro confraternitatis pacto, quod inter Electores locum habet.

Decennio vix elapso iterum excitata est vehemens contentio Argentorati propter discordem Episcopi electionem. Euangelici Capitulares, quorum tum quatuordecim erant, die vicefima octaua Maii anno 1592, a Ioachimo Carolo, Brunsuigae duce, Capitulique Praeposito, dicta, Ioannem Georgium, Marchionem Brandenburgiae; Catholici vero reliqui septem, secessione Zaberum facta, die octauo Iunii Carolum Lotharingicum, Patrem purpuratum, Metineniumque Episcopum, elegerunt, Reseruati Ecclesiastici sanctione in magnum rei Euangelicae detrimentum, abusi. Sed hanc rem lubens praetereo, ad finem properans. Notae sunt rixaes, quibus fere totum saeculi XVII. aeuum Germania commota fuit, a Curia Romana in primis instigatae ad res Euangelicorum suppressendas. Interea fit Vnio Protestantium Halae Sueorum die tertio Februarii anno 1610. Catholici vero foedus illud inierunt, quae Liga vocabatur. Electores Ecclesiastici in conuentu Muhlhusii anno 1620, Reseruatum Ecclesiasticum denuo confirmant. Caesareum Edictum a Ferdinando II. die VI. Martii 1629. promulgatum; quo omnium rerum sacrarum a tempore Religions pacatae ab Euangelicis occupatarum restitutio praecipiebatur. Inde motus cruentissimi. Ciues et peregrinos in Germaniae viscera foede saeuuisse, liquet. Pauca tantum adhuc disputare volimus.

Itaque omnibus consiliis in hoc genere moderate, verum sine euentu, ab Euangelicis exhibitis, dolendum est, res tandem eo rediisse, vt acerbitas dissidiorum, tanquam fomes, in animis virimque delitescens, magis magisque aleretur, donec in tantas erumperet flamas, vt plurimorum ciuium cruore, undequaque

D

per

per triginta annos, sparso, vix extinguerentur. Quod immenso studio tres fere annos in pace restituenda\*) collocato, feliciter contigitum, quum Christinae vietricis Diui Gustaui Adolphi filiae, potissimum, Gallorumque regis Ludouici XIII. auctoritate interueniente, Monasterii atque Osnabrugae anno superioris saeculi quadragesimo octavo belli calamitas fineretur. Euangelici quidem Status omnes vires intenderunt, ut Reseruatum Ecclesiasticum tolleretur. Verum enim uero quum id fieri nullo modo posse viderent, ad pacem eo citius recuperandam, illam sanctiōnem sponte comprobauerunt, rebus suis alias egregie stabilitatis. Hinc Reseruatum Ecclesiasticum non solum confirmatum, verum etiam ad Euangelicorum Sacra extensum fuit; sanctiōnique \*\*) in perpetui iuris vim „si Catholicus Archiepiscopus, Episcopus, Praelatus, aut Augustanae Confessioni addiclus, in Archiepiscopum, Episcopum, Praelatum electus aut postulatus, solus, aut vna cum Capitularibus, seu singulis, seu vniuersis, aut etiam alii Ecclesiastici Religionem in posterum mutarint, excidant illi statim suo iure, honore tamen famaque illibatis, fructusque et redditus circa moram et exceptionem cedant, capituloque, aut cui id de iure competit, integrum sit, aliam personam religioni ei, ad quam beneficium istud“ (Kal. Ian. anni 1624.) vigore huius Transactionis, pertinet, addictam eligerre aut postulare, relictis tamen Archiepiscopo, Episcopo, Praelato etc. fructibus et redditibus interea perceptis et consumtis.“

Quo

\*) cf. Tob. Pfanneri historia Pacis Osnabr. Ioannis Gottfr. a Meieren acta Pacis Westphal. et Carl Wilhelm Gaertners Westphaelische Friedenskanzlei.

\*\*) Pac. Osnabr. Instrum. Art. V. §. 3.

Quo loco finiam, exemplum vnicum ad illustrandam huius sanctionis vim ex historia Saxonica desumptum, adhuc commemoraturus. Vbi enim anno huius saeculi XVII. innotuit, Mauritium Guilielmum, Saxonie ducem, Numburgo-Zizae Episcopum postulatum, ad Catholicorum sacra transiisse, statim officio suo ac iure excidit, eiusque praefectura Ecclesiastica ab Electore Saxoniae, Polonorumque Rege, Friderico Augusto, pro Reseruati Ecclesiastici sanctione, administrari copta, reseruatisque Capitularium priuilegiis ac iuribus, anno 1726, Electoratu Saxoniae adiecta fuit.



m

*Rk 1604<sup>m</sup>*

**ULB Halle**  
006 663 559

3



*MDW 8*





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

DE

13.

# RESERVATO ECCLESIASTICO

COMMENTATVS EST

CHRISTIANVS CAROLVS GEHE.



7th  
1604 m



DRESDAE

LITTÉRIS HARPETERI MDCCCLXXVIII.

